


Gładysz Matthiae Stanislai: Quaestio optica de modo visionis.

D. O. M.

QVÆSTIO OPTICA

DE

MODO VISIONIS.

59389/III

In Alma Academia Cracouiensi



Sub felicibus auspicijs

Jllustris, Magnifici, & Adm. Rn̄di Domini,

D. GREGORII MODLINSKI,

S. Th. & I. V. Doct. Eccl: Coll: S. ANNÆ Præpositi, Scholarum in Vladislauiano Collegio Nouodworscianarum Prouisoris,

Dictæ Academiæ

RECTORIS VIGILANTISSIMI,

ad disputandum proposita

A

M. MATTHIA STANISLAO GŁADYSZ

Contubernij Sisiniani Seniore.

In Lectorio DD. Theologorum.

Anno Domini, 1653. Mense Augusto, Die Horâ

CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cæsarij, S. R. M. Typog.

QVÆSTIO OPTICA
De Modo Visionis.

V. Potentia Visiua sit in oculo tanquam visûs organo, & cuncta visibilia per pyramidem radiosam comprehendat, eademq; vti rem vnã, duorum oculorum radijs perpendiculariter in eos incidentibus percipiat; & reducatur ad actũ primum completum per extramissionem radiorum ab oculo, an verò per intus susceptionem specierum visibilium, nec ne?

CONCLVSIO I.

Potentia Visiua est in oculo, tanquam visûs organo.

CONSECTARIA.

I. Visiua Potentia, prout est certum & proprium visûs organũ; ita etiam proprium & determinatum obiectum sibi vendicat.

II. Secundùm variam dispositionem organi, & illius situationem, acutiùs & in maiori distantia, aut minùs clarè & in minori, aspectabile videmus.

III. Quamuis organum Potentiæ visiuæ, ipse videlicet oculus partibus dissimilaribus constet, tamen pars illa, in qua primò & immediatè fit sensatio similaris est.

IV. Et hæc Potentia visiua cum organo subiecto sunt idem, tantùm ratione differunt.

V. Hanc verò Potentiam visiuam, quamuis alijs nobilior sit sensibus, animato non ad esse simpliciter, sed tantùm ad benè esse necessariam dicimus.

CONCLVSIO II.

Potentia visiua cuncta visibilia per pyramidem radiosam comprehendit.

CONSECTARIA.

I. *Sicut rem videmus in momento, ita non sine contactu virtuali figuræ radiosæ eam cernimus.*

II. *Omnis visio requirit angulum in centro oculi terminatum.*

III. *Maximus visionis angulus, obtusus nunquam potest esse, sed semper est acutus* $\frac{1}{3}$ *minor recto.*

IV. *Minimus visionis angulus gradibus diminutus ille dabitur, qui diuisionem non admittit; nam si diuideretur, nihil per eum videremus.*

V. *Sub angulo contactus, intra lineam rectam tangentem Sphæram oculi, & ipsam superficiem conuexam, nulla visio fieri potest.*

CONCLVSIO III.

Visiua Potentia, omne aspectabile vti rem vnã, duorũ oculorũ radijs perpẽdiculariter in eos incidentibus, percipit.

CONSECTARIA.

I. *Licet ad vtrumq́ oculum duæ figuræ Opticæ alicuius Obiecti visibilis constituantur: illæ tamen in concursu nerui concaui dicti Optici vniuntur.*

II. *Sine radio Optico, tanquam specie & rei visibilis simulachro, non fit visio.*

III. *Nisi radios à visibili emissos medium in se reciperet, & eis liberum transitum præberet, posito certo interstitio, inter visibile & visorium, nihil discerneret oculus.*

IV. *Maximum radium dari est possibile, sed infinitum implicat.*

V. *Radius perpendicularis prout fortissimus, alijs obliquis meritò præfertur.*

CONCLVSIO IV.

Visio per extramissionẽ radiorũ ab oculo radiante fieri non potest.

CONSECTARIA.

I. *Visus etiam in esse transmutato, & actuato in esse sensibili constitutus, non est ita Potentia actiua, vt visionem efficiat per extramissionem.*

II. Nec licet inferre, quòd lumen naturale oculis animaliũ, præcipuè catorum, luporum, à natura inditum, extramissionem faciat, licèt naturali sua radiositate visui conferat.

III. Oculi noctuæ, catorum, & aliorum animalium, quò sunt lucidiores & magis fulgidi, eò sunt debiliores.

IV. Lynci, qui visionem per parietem aut montem attribuunt, fabulosa referunt.

V. Etsi oculus percussus vel fricatus seipsum intueri videatur, non ideò tamen visio erit per extramissionem.

CONCLVSIO V.

Potentia visiua reducitur ad actum primum completum, per intus susceptionem specierum visibilium.

CONSECTARIA.

I. Solus radius visiuus in oculo receptus causat proximè visionẽ.

II. Vnde visio fit per hoc, quod in glaciali humore est ordinatio speciei, sicut rei exterius.

III. Eam tamen 8. ab Opticis enumeratæ adiuuant conditiones: 1. Lux vel lumen. 2. Debita distantia ab oculo rei aspectabilis. 3. Facialis siue directa rei oppositio. 4. Quantitas rei proportionata. 5. Medium diaphanum. 6. Densitas rei visibilis maior quàm medij. 7. Tempus debitum ad certitudinem rei visibilis habendam. 8. Et Organum aptum atque à natura dispositum, ad recipiendas species visibiles.

IV. Radij omnes inter se conueniunt, quatenus per lineas rectas è quolibet puncto visibilis, in quodlibet medij punctum emissas aspectabile repræsentant.

V. Illos tamen differre inter se ratione rei visibilis luminosæ, vel illuminatæ, proximè vel remotiùs distantis, tum secundum incidentiam in oculum, rectam vel obliquam, & lateralem, non negamus.

Cuncta videnti & disponenti Gratia & Gloria.



Biblioteka Jagiellońska

stdr0020090